Die VI. Martij.

IN FESTO S. COLETÆ Virg.

Duplex Majus.

Omnia de Cōmuni Virginum præter ea quæ hic habētur propria.

ORATIO.

DOmine IESV CHRISTE qui B. Coletam Sponsam tuam innumeris dotibus decorasti: tribue quæsumus vt quo Spiritu Seraphicam Regulam pristinæ puritati restituit, eodē intus reformari mereamur. Qui viuis & regnas &c.

Lectiones I. Nocturni De Cōmuni Primo loco.

In 2do Nocturno.

Lectio IV.

PIcardiæ Ciuitas Corbeia Diœcesis Ambianensis Beatæ Coletæ natalibus ex Matre sterili & sexagenaria illustris effecta est. Hæc ab ineunte ætate, cæpit, ardentiùs colere officia Charitatis. Ita vt quidquid habere poterat hilariter Pauperibus largiretur Orationi assiduè vacans, solitaria loca quærebat, tenerum ibi Corpusculū affligens Ieiunijs carnē Spiritui subijciens, catenâ ferreâ, Cilicioque nunquam aut rarò depositis, humi cubās cū eam somnus necessarius occupabat. Decimū quartum ætatis agens Annū Orationibus impetrauit â Domino, vt Corpus suum quod exiguū remanebat, subito ad iustam magnitudinem excreuerit, ac vultus venustas ne forte alicui occasionem præberet delinquēdi in terreum colorem mutaretur. A Dæmonib9 frequenter lacessita diuersisque apparitionibus exagitata, vulneribusq; toto corpore lacerata, ab oratione tamen nunquam recedebat, in qua sæpè in extasin rapta Angelorum visione & colloquio potiebatur.

Lectio V.

FAcultatibus Pauperib9 distributis, Tertij Ordinis S. FRANCISCI Regulam professa, nouas præcedentibus austeritatibus superaddens, vitam planè cælestem aggressa est. Nu-

dis semper pedibus, etiam Hyemis tempore incedens, & continẽs, ieiunijs penè conficiens, tum se ad reformãdum Seraphici Francisci planè collapsũ Ordinem à Deo variè admonita destinari cognouit. Cui humiliter diu reluctans linguæ oculorumq; vsu deperdito, tandem voluntati Diuinæ sese subijcere coacta est Vtroq; autem sensu mox in integrum restituto, Diuino Spiritu afflata, Apostolicæ sedis adire præsentiam decreuit, vt à summo Pontifice prædictum opus executioni mandandi facultatẽ exposceret. A quò Benedictione acceptâ, susceptoq; prædicto Reformationis mandato in Patriam rediens, tãtum opus alacriter inchoauit.

Lectio VI.

CVm autem summo studio tam antiquis Monasterijs reformãdis quàm Nouis extruendis incumberet, ingruentes difficultates admirabili constantiâ superauit. Paupertatis sẽper studiosissima fuit, vnicâ Tunicâ eâq; detritâ contenta Augustissimam Cellam in angulo habens, nullâ supellectili instructam præter stramineũ saccũ qui ei pro lectulo erat, Charitate, Patientiâ, Humilitate, mansuetudine cæterisq; virtutibus decorata: dono etiam Prophetiæ illustris abdita fidei Mysteria diuinitùs ita edocta penetrauit, vt de his altissime dissereret: multis tamen & maximis patratis miraculis, morte sua ante Biennium præcognita, Omnibus Sacramentis munita, Hortatisq; Sororibus ad Regularem Disciplinam obdormiuit in Domino Pridie Nonas Martij Anno Millesimo Quadringẽtesimo Quadragesimo septimo, Gandaui in Flandria in Monasterio à se ædificato, in quo Sacræ eius Reliquiæ assiduâ Fidelium veneratione coluntur.

Homilia de Decem Virginibus Missa Dilexisti.